



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.25. Epistolæ Papæ de ficulo Regno solliciti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A. C. 1251.

§. XXV.

*Epistolæ Papæ de Siculo Regno
soliciti.*

ap. Rayn.
1251. n. 2.

n. 3.

n. 5.

Papa per litteras Cardinalis Petri Capochii Legati sui de Friderici obitu edoctus, illi hunc in modum scripsit: Primum reverti Romam cogitavimus, cujus desiderium nos & fratres nostros Cardinales jam diu tenet: postea vero perpendimus incertum esse, totane Sicilia unanimes consensu ad sinum Ecclesiæ reditura sit, an aliqui se huic sint opposituri? Proinde hac de re protinus certiores per te fieri volumus, ut sciamus, an numerosæ nos copiæ comitari debeant? Dabat 25 Jan. 1251. Simul ad Præsules, Proceresque ac universam Siciliae gentem litteras misit, quas inchoat invitando Cœlum ac Terram, ut gaudeant decessisse hostem Ecclesiæ, qui Siculorum libertatem tamdiu oppressisset. Gratulatur eis hanc redditam, stimulosque addit, ut ad gremium matris suæ se recipiant, cujus sub tutela pacem illis & securitatem plenam pollicetur. Seorsum scripsit ad Bernardum Archiepiscopum Panormitanum & antea Bariensem, grandævum Præsulem Friderico addictissimum, cui ægro absolutionem dederat, & mortuo supremum persolverat honorem. Tractans eum

eum velut inveteratis criminibus induratum hominem exhortatur, ut gravissimam Ecclesiæ totius offensionem compenset; ut noxarum pœnitentiam agat; ut earum fordes eluat cæteros ad bonas partes reducendo; ut se Archiepiscopo Bariensi jungat hanc ob causam in Regnum missio. Is erat Marinus Filangieri, qui post Andream Berardi successorem ad sedem Bariensem evectus fuerat, & qui hoc anno 1251 Pontificatus sui trigesimo tertio extremum vitæ diem morte confecit.

Sæcul. XIII.

A.C. 1251.

Ughell. to. 7.

p. 885.

§. XXVI.

Papa epistolas mittit in Germaniam.

Eodem tempore Papa Germanos ab obedientia Conrado II. præstanda avertere conabatur. Hoc fine Jacobum Pantaleonem Archidiaconum Leodiensem jussit cum Theodorico Equitum Borussiæ Magistro Germanicæ linguæ gnaro Imperii Duces, Principesque limitibus tuendis præfectos seu Marchiones, & Comites adire, eoque adducere, ut Ecclesiæ mandata facerent, atque in clientelam Guilielmi Batavi se conferrent. Scribat 18 Febr. Etiam Fratri cuidam Prædicatori injunxit, ut adversus Conradum expeditionem sacram ediceret cum pœ-

VIII. ep. 21.

ap. Rayn. n. 7

n. II.